nem videtur dicendum de illo, qui promulgato monitorio ad revelandum crimen non revelat. Sed iterùm de hoc infra, dùm de injustitia testis.

IV. Quæritur specialitèr, utrùm Confessarius, qui ex ignorantia, aut negligentia gravitèr culpabili non injungit Pœnitenti restitutionem, ad quam tenetur, fiat ipse obnoxius huic restitutioni? Antè responsionem suppono, 1. quòd, si Confessarius, qui in hac parte deliquit, postea moneat Pœnitentem suæ obligationis, sit ipse liber ab illa: quia tùnc non potest ampliùs censeri causa non restitutionis, sed ipsa Pœnitentis malitia. Suppono 2. quòd, si pœnitenti interroganti, àn debeat restituere, nihil responderet Confessarius, certò teneretur ipse restituere, quia silens in his circumstantiis non se habet tantum negativè ad non restitutionem, sed censetur ad illam concurrere positivè ut suadens, aut consentiens: verificatur enim tùnc commune effatum: *Qui tacet, consentire videtur*. Quæstio itaquè est de Confessario, qui merè negativè se habet tacendo. Quidam, intèr quos Lessius, distinguunt intèr Confessarios, qui ex officio habent curam animarum, ut sunt Episcopi & Parochi, intèr eos qui ex officio non habent, ut sunt regulares: primos censet teneri ad restitutionem, non secundos. Addit tamèn Lessius, etiàm primos probabilitèr non teneri. R. Probabilius est, Confessarium qua talem, sive ex officio habet curam animarum, sive non, non teneri in casu proposito ad restitutionem. Ità ex Nostris Ledesma, Serra: ex Extraneis Valentia, Sà, Laymàn, Sporer, Deëlman &c. contrà Navarr. Sylvium, Auctorem Suppl. Tourneli &c.

Prob. 1. Confessarius tenetur ex officio monere Pœnitentem obligationis restituendi in ordine ad spirituàlia tantùm, non in ordine ad temporalia, sive ipsius Pœnitentis, sive alterius tertii: officium enim istud totum est spirituale: ergo: dùm omittit monere, non violat Justitiam in ordine ad temporalia, sed in ordine ad spirituàlia, tantùm: sola autèm violatio Justitiæ inducit obligationem restituendi, proindèque Confessarius tenetur reparare damna spirituàlia, si sequantur ex suo silentio, non temporalia. Confirm. Custodes, ut modò dicebam, ex ipsis Navarro, & Sylvio, nobis hac in parte adversariis, qui non impediunt secantes ligna, aut dissimulant fraudantes vectigalia, non tenentur ad multas, sed solùm ad damna aut vectigalia; quia non tenentur ex officio monere in ordine ad mulctas solvendas, sed tantùm ad damna avertenda & solvenda vectigalia: ergò similitèr in nostro casu. Ex hac ratione sequitur, nequidèm Confessarium teneri restituere ipsi pœnitenti, si ex ejus omissione sequatur illi damnum temporale, puta, si ob non injunctam restitutionem & indè neglectam aliquas expensas facere debuerit.

Prob. 2. Datò, Confessarium vi administrationis Sacramenti Pœnitentiæ obligari ex Justitia in ordine ad bonum Pœnitentis etiàm temporale, hæc tamèn obligatio non extenditur ad bonum temporale alterius tertii, quocùm neque pactum neque conventionem ullam etiàm tacitam invit vi administrationis hujusmodi præcisè: ergò omittendo peccavit quidèm contrà Justitiam debitam suo Pœnitenti, sed non isti tertio. Subsumo: atqui illi soli facienda est restitutio, cui Justitia est debita, & respectu cujus violatur: ergo. Habet quidèm jus ille tertius, ut Pœnitens ipsi restituat, sed non habet jus strictum, ut Confessarius qua talis hac de re pœnitentem moneat, cùm vi officii sui ad id se non obligaverit: quasi verò Confessarius ratione administrationis Sacramenti Pœnitentiæ foret ex officio procurator bonorum temporalium cujuscumque.

Dices cum Sylvio: si Princeps aut Prætor videat suos subditos nocere aliis non sibi subditis, & non impediat cùm potest, tenetur ad restitutionem, etsi non teneatur procurare bonum illorum non subditorum: ergo similitèr. R. 1. Hærendo primæ probationi, disparitatem esse, quòd obligatio Principis, aut Prætoris sit in ordine ad temporalia; obligatio autèm Confessariis in ordine ad spirituàlia tantùm. R. 2. Hærendo 2. probationi, disparitatem esse, quòd intèr Principes & consequentèr eorum Prætores interveniat virtualis contractus, seu tacita conventio pro bono & tranquillitate communi, ne sui subditi alterius subditis noceant, sicùt communitèr admittitur intèr vicinas communitates conventio tacita quoad passionem & lignationem reciprocam in territorio alterius. Unde Principes ex Justitia obligantur non solùm ergà suos subditos, sed etiàm ergà alienos ne a suis vexentur. Talis autèm contractus, seu conventio non intercedit intèr Confessarium qua talem & illum tertium, cui Pœnitens tenetur restituere.

§. VIII. *Quo ordine Cooperatores damni tenetur restituere?*

I. SUppono 1. Eum, qui rem adhùc extantem apùd se habet, antè omnes teneri eam restituere. Quia tenetur ratione rei acceptæ, & hæc obligatio est omnium maxima; quandiù enim res extat, clamat ad dominum ut communiter dicitur, & ei debetur. Quòd si bona fide eam absumpsit, tenetur in quantum factus est ditior, quia id succedit loco rei: si mala fide tenetur ad totum æquivalens, alioquin commodum reportaret ex nova sua iniquitate. Undè regula Juris 36. in 6. *Pro Possessore habetur qui dolo desiit possidere*. Insuper, cùm sciens & volens commodum ex ea re præ cæteris perceperit, æquum est etiàm, ut præ cæteris subeat onus restituendi. Eo itaquè restituente, cæteri cooperatores non tenentur restituere; non domino, quia habet quod suum est; non illi qui restituit, quia non habet minus quàm debet habere. Excipe tamèn 1. si mandans concedat executori rem ablatam, aut ejus partem ut mercedem: 2. si hærus rem furtivam, puta ovem, a suis famulis consumi jubet; in his enim, & similibus casibus mandans & herus videntur in se suscipere onus restituendi præ cæteris.

Suppono 2. Quòd, quandò plures æqualitèr concurrunt ad damnum, teneantur æqualiter ad restitutionem, unusquisque pro sua parte: ut si decem communi consilio incendant domum valentem mille aureis, unusquisque teneatur reddere centum: si duo consulant furtum centum aureorum, unusquisque tenetur refundere 50. Quia obligatio restituendi oritur ex influxo in damnum: ergò ubi æqualis est influxus, æqualis est obligatio: ex quo etiàm sequitur, quòd, si intèr eodem modo concurrentes, v. gr. intèr plures consulentes unus magis influit, quàm alter, teneatur etiàm plus restituere. Quòd si aliqui deficiant, teneatur quisque in solidum, qua quisque influit in totum damnum; si non totalitate causæ, saltèm totalitate effectûs. Uuo autèm restituente, alii (*Hic a.* 6. *ad* 3.) debent ipsi refundere, quisque suam partem: quia dominus, qui accepit ejus integram restitutionem, censetur ei transmisisse totum jus, quod priùs habebat: & alioquin ejus diligentia faceret eum pejoris conditionis, cùm culpa & tarditas aliorum ipsis patrocinaretur. Adde, quòd non restituentes sint causa, cùr si debeat restituere totum, cùm alioquin sufficeret restituere partem, adeòque sint illi causa damni.

II. Quæstio itaquè restat de iis, qui diverso modo concurrunt: v. gr. concurrunt ad eamdem damnificationem mandans, exequens, & consulens; quæritur, utrùm intèr eos sit aliquis ordo, ità ut quidam priùs totum restituere teneantur; & iis deficientibus, alii? Contendit Petrus Navarra, quòd unusquisque immediatè teneatur restituere suam partem, majorem vel minorem, secundum quod plùs vel minùs influxit: v. gr. si damnum sit 20. aureorum, mandans teneatur ad 10. exequens ad 6. consulens ad 4. quisque tamèn ad totum, aliis deficientibus. Hæc sententia non est improbabilis; alitèr tamèn resolvit S. Th. & cum eo omnes fermè Theologi. Undè,

Dico: (*Ibid. a.* 7. *ad* 2.) Primariò & principalitèr totum restituere tenetur mandans: secundariò exequens, & consequentèr alii per ordinem; ita ut restituente mandante, cæteri sint liberi a restitutione; restituente vero exequente, mandans teneatur illi restituere, cæteri autèm subsequentes sint liberi. De mandante patet: quia est principalis causa, cujus auctoritate, nomine, gratia fit, cuique propterea omnes subordinantur, ac serviunt ut instrumenta. Undè communi omnium sensu censetur in se suscipere primariò totius restitutionis onus. Sanè iniquum quin & ridiculum, foret, quòd, qui aliis jussit maleficium fieri suo nomine & in sui gratiam, exigeret ab aliis partem restitutionis. Mandanti hic accensendus est, qui vi, metu, minus alterum cogit ad maleficium. Itèm, qui sive fraude, sive solis precibus, aut consiliis induxit aliùm, ut in sui gratiam damnum inferret: hi enim æquivalent mandanti, & sunt sicùt ipse principales in facto: ità ut etiàm censeantur in se suscipere onus restitutionis. Imò, qui his modis mandantem induceret ad mandandum, priùs ipso teneretur, quia foret ipso magis principalis in damno. De Executore; qui absquè mandante agit, etiàm patet, quia ipse est principalis in facto, & proprio nomine damnificat. De Executore verò, qui auctoritate & nomine mandantis agit, quidam dubitant, quia tunc est tantùm agens secundarius sicut alii cooperatores, proindèque videtur tantùm teneri pro sua parte, sicùt alii. Nihilominùs probabilius est, etiàm talem pòst mandantem teneri ad totum, & eo restituente, cæteros cooperatores ad nihil teneri: quia, licèt non pro se sed pro mandante agat, est tamèn pòst mandantem principalis intèr cæteros, qui ipsi serviunt, & sunt subordinati, sicùt ipse est mandanti, ipsum scilicèt instruendo, fovendo, animos addendo, armando, &c. idque in ejus gratiam. Ex quo sequitur, ipsum præ cæteris in se suscipere onus restituendi. Cæterùm id intellige de exequente, qui suo vel mandantis nomine rem agit; si enim aliorum cooperatorum nomine ageret, non priùs nec plusquàm illi teneretur: ut si quinque commune consilium ineant incendendi domum, & unus pro omnibus & eorum nomine ignem injiciat, alii quatuor æquè tenentur, ac ille, quia non est magis causa principalis, quàm illi; undè illo restituente, alii tenentur ipsi suam partem restituere.

Intèr cæteros verò cooperantes positivè videtur probabilius nullum esse ordinem, sed unumquemque teneri ad suam partem majorem, vel minorem pro modo influxûs, ità tamèn ut aliis deficientibus quilibet teneatur ad totum, & restituenti totum cæteri suas partes restituere debeant. Ratio est; quia nullus alteri est causa principalis, nec ullus alteri subordinatur, aut deservit tamquam ejus instrumentum, sed quisque per se in suo ordine agit: sic palpans non est instrumentum consulentis, nec consulens palpantis. Attamèn intèr cooperantes positivè ex una parte & cooperantes negativè ex altera est ordo, ità ut priùs restituere teneantur cooperantes positivè; & illis restituentibus sint liberi cooperantes negativè: non quia isti sunt illis subordinati, ut dixi de cooperantibus positivè respectu mandantis & exequentis; sed quia cooperantes positivè propriè concurrunt ad damnum, cooperantes antèm negativè impropriè tamùm, quatenùs nempè non impediunt, ut tenentur ex officio: sicque accipiendo officium non censentur communi hominum æstimatione suscipere onus restitutionis nisi pòst alios: & sanè ridiculus foret positivè concurrens, qui, cùm totum restituisset, diceret concurrenti negativè: redde mihi partem restitutionis, quia me volentem, aut consulentem furari non impedivisti.

Quidam intèr concurrentes negativè etiàm constituunt hunc ordinem, quòd mutus & non obstans teneantur ad totum antè non manifestantem; quia, inquiunt, mutus & non obstans debent per se immediatè damna avertere; non manifestans verò non debet per se immediatè avertere, sed aliis revelare, ut avertant, & ideò priores magis principalitèr obligant. Eadem ratione videtur, quòd Custodes & Præfecti particulares priùs teneantur, quàm generales; quia particularibus incumbit immediatè impedire damna, generalibus autèm invigilare tantùm, ut particulares debitè officio suo fungantur. Id probabile est. Addunt insuper præfati Theologi, quòd cùm non obstans debeat impedire facto, mutus autèm verbo, & factum sit verbo efficacius, non obstans priùs & strictiùs obligetur, quàm mutus. Sed id non satis probatur: quia ex hoc quòd unus efficacius influat in damnum, sequitur tantùm, quòd ad plus teneatur, non autèm quòd priùs ad totum, ut patet de concurrentibus eodem modo positivè, quorum unus quandoquè plùs influit, alter minùs.

III. Quæritur hic insuper, utrùm, si damnum passus uni cooperantium remittat debitum, cæteri sint liberi ab onere restituendi? R. sub distinctione. Si remittat ei, qui principalitèr debet, cæteri manent liberi; quia non tenentur, nisi deficiente principali, ità ut si principalis solvat, alii ad nihil teneantur, remissio autèm habetur pro solutione: undè, si remittat detentori rei, omnes alii manent liberi; si mandanti, non liberatur detentor, sed subsequentes, & sic de cæteris subordinatè obligatis. Si remittat uni illorum, qui eodem ordine tenentur, puta, uni ex his, quorum unus est consulens, alter consentiens, tertius palpans, vel uni ex tribus exequentibus, aut ex tribus mandantibus, quorum quisque debeat pro rata decem: per hanc remissionem, qui priùs ordine tenentur restituere, in nullo sublevantur, quia tenentur independentèr a posterioribus; & intentio remittentis censetur esse liberare eum, cui remittit, casu quo non restituente principali ipsi incumbat obligatio restituendi. Alii verò eodem ordine obligati non eximuntur restituere suas partes; quia, cùm singuli debeant seorsim, remissio facta uni non censetur facta alteri; sed eximuntur restituere id, quod spectabat eum, cui facta est remissio; ità ut in casu posito duo alii debeant restituere, quisque decem; & si unus non restituat, alter debet tantùm restituere quindecim, quia alia quindecim censentur condonata a domino per remissionem, nisi fortè insinuasse se tantùm remisisse ratam, sperans fore, ut alii restituerent.

ARTICULUS XIV.

Cui sit facienda Restitutio?

DIstinguenda sunt hìc bona duplicis generis. Alia sunt certa, alia incerta. Certa dicuntur, quorum dominus est certus & notus: incerta, quorum dominus est ignotus, aut incertus.

§. I. *Cui bona certa sint restituenda?*

DIco: Bona certa ordinariè sunt restituenda ei, a quo fuerunt accepta, sive sit eorum dominus, sive tantùm legitimus possessor. (*Hic a.* 5. 9.) Prob. 1. Pars. (*Ib.*) Restitutio adhibetur, ut fiat æqualitas, quæ consistit in rerum adæquatione; atqui hæc haberi non potest, nisi restituatur illi, qui per ablationem habet minus, quàm debet habere: ergo. Prob. 2. Pars. Quia, dùm quis legitimo titulo rem possidet, quamvis non sit verus illius dominus, ut est commodatarius, depositarius, &c. habet tamèn jus vel illa utendi, vel illam custodiendi, servandi, &c. quod jus læditur per rei ablationem, nec reparatur nisi per restitutionem ipsi factam, & non immediatè domino. Hinc inferes, furantem commodatum, locatum, depositum, pignus, debere restituere commodatario, locatario, depositario, &c. Paritèr furantes res Pupilli a Curatore vel Tutore, res communes ab Administratore, teneri illis restituere, & non veris dominis; quia alioquin jus illorum violatur. Itèm surripiens pannum a sartore, linteamina a lotrice, illis, & non dominis, debet reddere, propter eamdem rationem; & insuper, quia aliàs exponuntur periculo amittendi pretium sui laboris, aut indè veniunt in suspicionem negligentiæ in servandis rebus sibi creditis.

Dixi 1. *ordinariè*: (*Ibid. ad* 1.) quia sunt plures exceptiones. Prima: Quandò res restituenda apparet gravitèr nociva ei, cui restitutio facienda est, non ei debet tùnc restitui, sed vel reservari, ut congruo tempore restituatur, vel alibi tradi tutiùs conservanda; quia restitutio ordinatur ad utilitatem illius, cui restituitur. Idem dic, si repetat in damnum alterius; tùm quia non habet jus repetendi in hunc finem; tùm quia ex Lege charitatis, secundùm quam Deus mandavit unicuique de proximo suo, tenemur impedire malum sive spirituale sive corporale proximi, quandò commodè possumus. Hinc inferes, te nec teneri, nec posse reddere gladium apùd te depositum repetenti in cædem inimici, pecunias apùd te depositas repetenti ad usuras, ad simoniam, ad meretricia, &c. Utrùm verò possis, si ex non redditione tibi immineat grave damnum, dicam modò. Interim

Dices: Parochus tenetur porrigere Eucharistiam peccatori occulto, petenti publicè. Uxor tenetur reddere debitum viro petenti, licèt voto castitatis obstricto; quia uterque habet jus, ille ad Eucharistiam, iste ad debitum: ergo similitèr in nostro casu. R. ad 1. disparitatem esse, quòd sequeretur scandalum & infamia petentis, si ipsi denegaretur communio: undè subest justa ratio dandi, quæ non supponitur in nostro casu. Ad 2. nego, uxorem posse reddere debitum tali marito, nisi subsit gravis causa, puta nisi timeat ex denegatione graves iras, rixas, odia, blasphemias, pollutiones, adulterinos amplexus, &c. sic etiàm in nostro casu, ut dicam modò.

Secunda exceptio: Quandò nihil interest illius, a quo res accepta fuit, quòd reddatur immediatè domino, potest uni, vel alteri reddi. Imò, si interesset domini, ut sibi immediatè reddatur, puta, quia Possessor est suspectus, aut dissipator, debet domino immediatè reddi, nisi fortè ex hoc gravius damnum immineret Possessori, a quo fuit accepta. Undè, secundùm Cajetanum, bona Ecclesiæ sunt potiùs reddenda Capitulo, quàm Prælato dissipatori. Tertia exceptio: Quandò is, a quo res est accepta, non est capax dominii, vel administrationis, ut est pupillus, filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum, uxor respectu bonorum communium, Religiosus, &c. res reddenda est Tutori, Patri, Prælato, Marito, &c. alioquin in foro externo juxtà L. *Pupillus* ff. *de actionibus*, teneberis iteratò solvere, nisi probes rem redditam applicatam fuisse in utilitatem Patris, Pupilli, Familiæ, Monasterii, &c. Attamèn in foro conscientiæ non videtur requiri probationem, sed videtur sufficere, ut a secunda restitutione libereris, si prudentèr credas eos, quibus restituis, satisfacturos esse suo officio. Ab hac exceptione excipe res concessas Religiosis ad usum; hæ enim ip-

ipsis, & non Prælatis, possunt restitui.

Dixi 2. *Legitimus possessor*: quia, si sit possessor illegitimus, sive bonæ, sive malæ fidei, res immediatè est restituenda domino, & non ipsi possessori; quia nullum jus habet in illam. Est tamèn aliqua disparitas inter possessorem bonæ & malæ fidei, pro qua vide, quæ fusè dixi suprà art. 10.

Petes 1. Utrùm, qui reddit rem domino repetenti in damnum alterius, v. gr. gladium depositum volenti occidere inimicum, peccet, non solùm contrà charitatem, sed etiàm contrà Justitiam, teneaturque ad restitutionem, si sequatur damnum? R. affirmativè: est communis contrà Mol. Ratio est; quia ille non solùm non impedit damnum alterius, ad quod fortè non tenetur ex Justitia, sed etiam ad illud positivè concurrit præbendo instrumenta, quæ nec potest, nec debet præbere, & ideò est verè participans in crimine, non minùs quàm si proprium gladium ministraret. Hinc L. *Si pignore* ff. *de furtis* dicitur: *Qui ferramenta sciens ad effringendum ostium vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamèn actione tenetur.* Item C: *Si tua culpa, de injuriis*, jàm sæpè cit. Volunt tamèn aliqui, quod, si non traderes gladium, sed ipse dominus per se sumeret ex tua domo, te non impediente cum posses; peccares solùm contrà charitatem & non contrà Justitiam; quia tùnc te haberes solùm negativè non impediendo occisionem, quam ex officio impedire non teneris, non autèm positivè cooperareris.

Si dicas, ex hac resolutione nostra sequi, quòd non etiam liceat reddere pecuniam ei, qui scitur ea empturus gladium ad occidendum inimicum. R. Concedo sequelam, si non subsit justa causa reddendi, ut modò explicabo: est tamèn disparitas, quòd ad reddendum gladium major requiratur ratio, quia proximius influit in damnum; minor pro reddenda pecunia, quia remotius influit: patebit ex mox dicendis. Undè

Petes 2. Utrùm, si ex non redditione depositi immineat depositario grave damnum, liceat reddere repetenti in sui vel alterius perniciem? R. Licere, non solùm absquè læsione Justitiæ, sed etiàm charitatis. Quia in tali casu damnum sequens non est reddenti voluntarium, neque directè, quia, ut suppono, illud non intendit, quin potiùs ei displicet; neque indirectè, quia non tenetur cum gravi suo damno omittere redditionem, quæ de se non est mala, ut consulat bono alterius: ad voluntarium autèm indirectum requiritur, quòd possit & debeat non ponere actionem, ex qua sequitur malum. Vide, quæ dixi art. præced. §. *Participans*.

Damnum autèm, quod imminet retinenti, ut ibidèm notavi, debet esse proportionatum tùm damno, quod prævidetur secuturum ex redditione, tùm influentiæ rei redditæ in istud damnum; major enim requiritur causa ad ponendam actionem, quæ proximè influit, quàm quæ remotè, quæ influit in grave malum, quàm quæ in leve. Item major, quandò alter peccaturus est contrà Justitiam, quàm contrà alias virtutes; quia major est obligatio Justitiæ, quàm aliarum virtutum moralium, & peccando contrà ipsam fit injuria alteri innocenti & invito; peccando verò contrà alias virtutes morales, solus peccans sciens & volens damnum incurrit. Hinc

Inferes 1. Si furens in hostem minetur tibi mortem, nisi reddas suum, aut alienum gladium apùd te depositum potest ei reddere, si aliter non possis mortem evadere. Secùs, si ageretur de occisione Principis Reipublicæ valdè utilis, quia istud malum prævalet morti unius particularis. 2. Si quis, incusso metu incendii, aut alterius gravis damni in bonis fortunæ, repetas pecunias apùd te depositas, eas daturus ad usuram, licitè reddis; a fortiori, si sit eis abusurus ad ebrietates, aut scortationes. 3. Si ex retentione libri perniciosi tibi a Titio commodati timeas graves rixas, blasphemias, odia, &c. potes reddere; secùs, si timeas tantùm, ne contristetur, aut ne desinat tibi esse amicus; hæ enim rationes non videntur sufficientes. 4. Si in his omnibus & aliis similibus casibus cogaris a Judice reddere depositum, aut commodatum, nec possis monendo Judicem de damno, aut appellando ab ejus Sententia illam irritare, non peccas reddendo, cùm non possis aliter facere.

Dices: Qui sine causa reddit depositum, ex quo sequitur damnum, peccat, quia influit in illud; atqui, qui reddit cum causa, pariter influit in illud: ergo. R. N. Min. In tantum enim prior influit in damnum, in quantum ponit actionem, quam debebat omittere, & ideò damnum sequens imputatur ei voluntarium indirectè, seu in causa. At secundus non tenetur hanc actionem omittere quia habet justam causam illam ponendi; undè nulla est ratio, cur imputetur ei damnum sequens ut voluntarium in causa.

Petes 3. Utrùm restitutio, seu solutio facta creditori mei creditoris sit licita & valida, ità ut sic restituens sim liber a secunda restitutione facienda meo creditori? R. Talis solutio, seu restitutio nulla subsistente causa in foro conscientiæ est illicita; probabilitèr tamèn est valide: sed in foro externo est etiàm invalida, nisi in certis casibus.

Prob. 1. pars: quia sic solvens lædo jus, quod habet meus creditor ut ipsi solvam, & ut ipse per seipsum solvat modo sui placito suo creditori. Insupèr indebitè usurpo officium Judicis. Subsistente tamèn rationabili causa esse licita, puta, si creditor mei creditoris aliter non posset recuperare suum debitum; quia tùnc meus creditor non potest esse rationabilitèr invitus, & aliundè facta est æqualitas, cùm idem sit te liberare a debito centum aureorum, ac tibi illos solvere. Insupèr juxtà probabilem Sententiam potest creditor creditoris uti compensatione, quando non potest aliter debitum recuperare: ergo licitè possum ei cooperari.

Prob. 2. pars, quæ est Sylvestri V. *Solutio* n. 4. & aliorum: quia solvendo tuo creditori centum, cui paritèr debes centum, acquiro jus, quod ille habebat exigendi a te centum. Undè jus, quod tùnc habeo, in te, æquivalet juri, quod habes in me, & sic utor compensatione. Si dicas, me tibi in hoc facere injuriam, atque tuum jus lædere, sicque te esse rationabilitèr invitum: fateor quoad modum, sed non quoad substantiam restitutionis, & ideò dixi esse secundùm se illicitam. Advertendum tamèn, quòd, si ex hoc modo restituendi, seu solvendi sequatur damnum immediato creditori tenaris illud resarcire. Undè, si equum valentem 20. aureis, quem tibi locavi, tradas Titio, cui debeo 20. aureos, & indè patiar damnum, aut lucrum cessans, non solùm peccas, quia, ut dixi, illicita est talis restitutio; sed insuper, quamvis sis liber a solutione equi, teneris istud damnum, aut lucrum indè cessans mihi restituere.

Prob. 1. pars: quia sic Jura statuunt ad evitandas lites. Erit autèm valida, si res debita sit obligata remoto creditori, seu ut alii dicunt, si utrumque debitum proveniat ex eadem causa, ut si conduxerint a te domum, quam a Titio conduxeras, possum Titio solvere. Similitèr, si gerens mea negotia, aut ut mihi mutuares, ipse mutuo accepisti centum a Cajo, possum, te prætermisso, reddere centum Cajo, sic etiam disponente Jure civili, pro quo vide Sylvestr. loc. cit.

§. II. *Cui bona incerta sint restituenda?*

Bona dicuntur incerta duplicitèr: Simplicitèr, quandò eorum dominus est absolutè incognitus. 2. Secundùm quid, quandò dominus cognoscitur secundùm quid & in communi, ignoratur autèm quis sit in particulari, ut si scias, te debere uni ex pluribus, nescias verò cui. Omnes conveniunt, bona simplicitèr incerta ex delicto, puta furtis, rapinis, usuris, iniquis contractibus, &c. esse omninò restituenda pauperibus, nomine pauperum intelligendo non solùm ostiatim mendicantes, sed etiàm Monasteria, Xenodochia, aut quemlibet usum pium. Quidam verò id negant de bonis incertis sine delicto comparatis, aut inventis; voluntque possessorem, si post sufficientem inquisitionem non compareat dominus, ea posse sibi retinere, quia tùnc, inquiunt, habentur pro derelitis. Ità Soto, & pòst ipsum quidam alii. Sed contrà cum S. Th. & communi Sententia.

Dico 1. (*Hic a.* 5. *ad* 3.) Omnia bona simplicitèr incerta sive parta ex delicto, sive non, sive inventa, sunt expendenda in usus pios, si facta diligenti inquisitione non compareat dominus: non enim, ut alii dicunt, dici possunt derelicta, cùm certò extet eorum dominus, licèt ignoretur; ideòque sunt expendenda secundùm ejus præsumptam voluntatem: jure autèm præsumitur, hanc esse ejus voluntatem, ut expendamus in suam, vel suorum, aut Reipublicæ utilitatem: ut fusiùs probavimus Dissert. 4. de Dominio c. 2. §. 6. Ubi etiam expendimus, quæ diligentia requiratur, quid facto opus, si, re distributiva, dominus compareat, & plura alia huc pertinentia: require ibi.

Dico 2. Bona incerta secundùm quid sunt restituenda domino meliori modo, quo fieri potest. Hoc generale dictum patet ex re. Et hinc in particulari. Si scias, te debere aliquid uni ex duobus vel pluribus, nescias verò cui determinatè, & facta diligenti inquisitione dubium perseveret, res est ipsis reddenda in communi, ut vel eam intèr se dividant in re, vel in pretio, vel sortiantur, vel aliter intèr se conveniant: iis autèm non convenientibus, res judicis arbitrio committatur. Si damnum sit illatum ipsi Communitati, vel Civitati, restitutio facienda est, non particularibus, sed ipsi Civitati, vel Communitati; quia ipsa Communitas in se fuit læsa, non particulares. Undè, qui ex communibus alicujus Civitatis redditibus summam distraxit, non satisfacit, si pauperibus ejusdem Civitatis restituat; quia pauperes in eam non habent magis jus, quàm divites, sed tota Communitas, ideòque est ipsi reddenda, & per superiores destribuenda. Si verò damnum sit illatum immediatè particularibus alicujus Communitatis, aut Civitatis, ut fit in bello injusto, aut deprædatione oppidorum, agrorum, in venditionibus, quandò nempè Mercatores, Caupones, Pistores, & similes defraudant promiscuè, ementes mercibus adulteratis, mensuris, vel ponderibus injustis; & tamèn ignoratur in particulari, quibus damnum sit illatum, restitutio fieri debet, non pauperibus, sed in quantùm possibile est ipsis personis læsis. Si ergo deprædatus fueris incolas alicujus pagi, restitue summam per Parochum, vel virum probùm intèr ipsos dividendam secundùm proportionem & probabilitatem læsionis cujusque. Si vendendo defraudaveris, attende, quinam plus, vel minus accedere solebant ad tuam officinam, eisque plus, vel minus redde, scilicèt vendendo, vel meliores merces, vel viliori pretio, vel meliori pondere, aut mensura, vel aliter. Si tandèm uni, vel admodùm paucis alicujus Civitatis damnum intuleris, & absolutè ignoretur cui, aut quibus, scitur autèm Civitas, restitutio facienda est pauperibus hujus Civitatis; quia sic præsumitur, esse voluntatem domini, si tamèn res sit alicujus momenti; quia, si sit levis momenti, potest restitui cuivis pauperi.

Petes 1. Cui restituenda sint bona defuncti?

R. Restituenda esse ejus hæredibus, sive necessariis, sive legitimis, sive ab intestato, sive per testamentum institutis: quia hæredes computantur una persona cum defuncto, & omnibus ejus juribus succedunt. (*Ibid.*) Si verò non habeat hæredes, aut hi sint omninò ignoti, etiàm inquisitione facta, nec de bonis disposuerit; quidam dicunt, esse eroganda in usus pios, quià sic præsumitur, fuisse voluntatem defuncti. Alii dicunt, id esse incertum, & defunctum fortè aliùd voluisse antè mortem, & hanc voluntatem incertam Domini non ampliùs existentis non posse ligare viventes, proindèque hæc bona censeri derelicta, seu vacantia, & sic esse primò occupantis, seu remanere debitori. Utraque Sententia est probabilis, casu quo non sint hæredes defuncti: sed si existant & sint ignoti, primæ Sententiæ est standum juxtà dicta in 1. concl. At verò Jure Civili L. *Vacantia* C. *de bonis vacantibus* libr. 10. tit. 10. Bona, quæ dicuntur vacantia, addicuntur Fisco regio, exceptis mobilibus peregrinorum ab intestato decedentium sine hæredibus, quæ per Episcopum debent in usus pios erogari. Authent. *Omnes peregrini* C. *communia, de Success.* In Gallia autèm bona extraneorum, non regnicolarum, ibi morientium, jure Albinatûs pertinent ad regem.

Petes 2. Utrùm & cui accepta propter turpem causam sint restituenda? R. (*Ibid. ad* 2. *& in* 4. *d.* 5. *q.* 2. *a.* 4. *quæstiun.* 2.) Aut lex prohibet ipsum lucrum, vel causam lucri tantùm. Si ipsum lucrum prohibitum sit, impossibile est, quod justè detineatur; ex hoc enim ipso efficitur aliquis injusti tituli & malæ fidei possessor, quia contrà legem aliquid habet, ut accidit in Simoniacis & Usurariis. Si autèm lex prohibet tantùm actum, ex quo lucratur, sed non lucrum supposito actu; tùnc quamvis acquirendo tali actu contrà legem fecerit, tamèn retinendo non facit contrà legem; sicùt cùm quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & ideò hæc retineri possunt. Simoniacè autèm accepta non sunt restituenda danti; quia dedit contrà legem, & non meretur accipere, sed convertenda in usus pios. Hoc ultimum ex Jure positivo. De hac difficultate fusiùs disseremus, dùm de contractibus sub conditione turpi.

ARTICULUS XV.

Quandò sit facienda Restitutio.

Dico. (*Ibid. a.* 8. *o.*) Quilibet tenetur statim restituere, si potest. Addit S. Th., vel petere dilationem ab eo, qui potest usum rei concedere; quod debet intelligi, quandò non potest satis commodè statim restitui, aut quandò impotentia saltèm restituendi non est omninò *Theol. Billuart.* Secunda Secundæ.

evidens; si enim sit evidens, sufficientèr excusat independentèr a concessione creditoris. Prob. 1. conclusio (*Ib.*) Qui detinet alienum invito rationabilitèr domino, peccat; atqui non licèt nec per modicum tempus morari in peccato continuando scilicèt illud, aut in eo complacendo: ergo. Prob. maj. 1. quia, qui detinet alienum invito domino, indebitè privat eum usu rei suæ, & sic facit ei injuriam: ergo peccat. (*Infrà q.* 66. *a.* 3. *ad* 2.) 2. quia detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta, undè sub acceptione injusta intelligitur etiàm injusta detentio; atqui, qui injustè accipit, peccat: ergo & qui injustè detinet. Prob. 2. (*Hic a.* 8. *ad* 1.) Quamvis præceptum de restitutione facienda secundùm formam sit affirmativum, implicat tamèn in se negativum tanquàm rationem suæ obligationis, scilicèt non detinere alienum: ideò enim teneris restituere, quia non licèt detinere alienum; atqui præcepta negativa obligant sempèr & pro sempèr: ergo. Confer, quæ dixi art. 2. hujus Dissert. Petit. 2.

Dices: ideò secundùm S. Th. quis tenetur statim restituere, quia tenetur statim exire a peccato; atqui falsum est istud fundamentum: ergo. Prob. minor. Peccator juxtà eumdem S. Th. in Suppl. non tenetur statim conteri, & pœnitere: ergo. R. D. maj. Ideò, &c. quia tenetur statim exire a peccato quoad actum & affectum, C. maj. quoad reatum, N. maj. & ad hunc sensum distincta minore, N. Conseq. Porrò, qui non restituit, dùm potest, manet in peccato quoad actum & affectum, sive, ut modò dicam, primum continuando, sive novum committendo, quatenùs perseverat in voluntate detinendi injustè alienum, quod est prohibitum; non licèt autèm, nec per instans peccare, seu in affectu peccati morari: conteri verò, seu pœnitere non important solùm cessationem a peccato & affectu peccandi, sed vitæ præteritæ dolorem & novæ propositum, ad quod non tenetur statim peccator.

Inst. Peccator non tenetur statim Deo satisfacere per pœnitentiam pro injuria ipsi per peccatum illata: ergo nec fur homini pro damno ipsi illato. R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quòd præceptum pœnitentiæ sit simplicitèr affirmativum, secùs præceptum restituendi. 2. Quia restitutio facienda homini ordinatur ad ejus utilitatem quàdùm privatur, fit ipsi injuria: satisfactio autèm, quæ fit Deo, non ordinatur ad ejus utilitatem: *Quid enim prodest Deo, si justus fueris?* Job. 22.

Petes 1. Quomodo illud *statim* sit intelligendum? R. Si sermo sit de proposito restituendi, intelligitur *statim* mathematicè, hoc est, eo instanti, quo reflectis te detinere injustè alienum, teneris nolle ampliùs detinere, seu velle restituere, alioquin peccas contrà præceptum negativum, quo prohibetur detinere alienum: sicùt, qui concepit propositum furandi, tenetur statim mathematicè illud deserere & nolle furari, alioquin peccat contrà præceptum: *Non furaberis.* Si verò sermo sit de restitutione exteriori, *statim* intelligitur moralitèr, id est, prima opportunitate; quia, cùm sit actus exterior necessariò requirit moram temporis ad sui executionem, quæ variis obstaculis, seu incommodis impediri potest, ità ut dominus non possit, nec debeàt esse rationabilitèr invitus, si res sua detineatur, quousquè opportuno loco, vel tempore restitui possit. Undè, si audienti Sacrum, in lecto, assidenti mensæ, menti incidat se detinere alienum, non tenetur ipso instanti exire a Templo, surgere media nocte, seu deserere mensam, ut restituat: similitèr, si longiùs distet dominus, & viæ sint difficiles, aut periculosæ. Imò, supposita etiàm omnimoda opportunitate differre ad aliquas horas, quibusdam non videtur peccatum; ad unum, vel alterum diem, non nisi peccatum veniale: quia pro tàm brevi tempore dominus, aut non est invitus, aut saltèm non gravitèr invitus, modò tamèn in tali dilatione non patiatur grave damnum.

Si dicas, indè sequi præceptum restituendi habere moram temporis, non secùs, ac præcepta affirmativa, & ideò ad instar illorum obligare. R. N. Sequelam: quia in hoc præcepto mora temporis est determinata ad statim moralitèr, seu ad primam opportunitatem: in præceptis autèm affirmativis non est determinata ad statim moralitèr, seu ad primam opportunitatem, sed determinanda relinquitur per regulas Prudentiæ. Non enim Filius statim data opportunitate debet honorare Parentes, orare Deum, elicere actum charitatis, &c.

Petes 2. Utrùm, qui alienum injustè detinet, continuò & singulis momentis peccet? R. probabiliùs & D. Thomæ conformiùs affirmativè cùm Soto, Sylvio, & aliis contrà Cajet. Serram & alios etiàm probabilitèr sustinentes oppositum. Prob. 1. Juxtà D. Th. ideò qui detinet alienum,

debet statim restituere, quia non licet etiàm per modicum tempus morari in peccato; atqui hæc ratio nihil probaret in principiis D. Th., si intelligeretur, ut vult Cajet., de peccato habituali & non actuali, quia ipse S. Doctor in suppl. docet, peccatorem non teneri statim exire a peccato habituali per pœnitentiam: ergo. Prob. 2. Quamdiù quis detinet injustè alienum, continuò transgreditur præceptum restituendi implicitè, negativum; continuò lædit proximum ipsum impediens a possessione & usu rei suæ, vel sui debiti, & hoc liberè, quia ista transgressio, seu læsio continuò pendent a libera non restituendi voluntate: ergo continuò peccat. Si dicas cum Cajetano, non peccari contrà præceptum negativum nisi peccato commissionis, quod requirit actum positivum, hic autèm non reperiri actum, sed actûs omissionem. R. Detentionem liberam non secùs, ac possessionem, se habere ad instar actûs, & æquè nocere proximo, ac acceptionem, adeòquè moraliter reputari actionem: undè dixi suprà ex S. Th. sub injusta actione intelligi injustam detentionem. Conf. Qui conjicit aliquem in vinculis, & ibi relinquit, non minùs continuò peccat & continuò nocet, quàm si manibus constrictum teneret; perindè est enim, si manibus, aut vinculis noceas, modo utrumque a libera voluntate dependeat. Similitèr Princeps, qui condit legem injustam, tamdiu peccat, quamdiù lex nocens ab ejus libera voluntate pendens permanet: ergo similitèr.

Dices: Qui inflixit vulnus, non continuò peccat, licèt continuò noceat: ergo. R. Disparitas est, quòd in hoc casu nocumentum sequens non amplius pendeat a præsenti voluntate illius, qui vulneravit, sed naturalitèr sequitur ex primo nocumento. Undè ipsi imputatur, non ratione præsentis voluntatis, sed præteritæ, in qua censetur fuisse volitum; sicque liberè nocuit, liberè peccavit; at nunc non libere nocet, nec proindè peccat actu formalitèr. Secus in nostro casu. Restitutio enim pendet a præsenti & libera voluntate detinentis, & sic est instar continuæ actionis nocivæ: qui enim causam noxiam posuit, quam continuò auferre potest, & non aufert, continuò nocet & continuò peccat. Undè in exemplo instantiæ si vulnerans posset aliqua arte auferre afflictionem & nocumenta vulnerati, & non faceret, censeretur continuò nocere & peccare: sicùt, qui injectum a se ignem in messem non extingueret, cùm posset, censeretur continuò nocere & peccare, quamdiù serperet ignis.

Inferes: ergo detinens injustè alienum peccat, dùm dormit, dùm orat, dùm facit eleëmosynam, &c. quod videtur absurdum. R. Juxtà principia posita talem peccare materialitèr & executivè, non formalitèr. In tantùm enim secundùm nos detinens peccat formalitèr, in quantùm detentio pendet a libera ejus voluntate; quandò autèm dormit, aut sic distrahitur, ut in ejus potestate non sit de illa detentione cogitare, vel disponere, detentio pro tùnc non est ipsi libera, proindèque nec peccatum formalitèr, sed materialitèr tantùm & effectus prioris peccati, nempè prioris voluntatis detinendi, in qua fuit prævisus & volitus: undè dicitur peccatum, non formalitèr, sed materialitèr & executivè, quia est executio malæ voluntatis, aut continuatio executionis, priùs per malam voluntatem inchoatæ: sicùt, qui ex intentione occidendi inimicum se itineri accingit, tamdiù peccat, quamdiù pergit in via; si tamèn in via dormiat, bibat, confabuletur, aut sit aliò distractus, pro tùnc non peccat formalitèr; quia, ut suppono, non est in ejus potestate de occissione proposita, aut continuatione viæ cogitare: peccat tamèn materialiter, quia continuatio viæ est effectus prioris voluntatis occidendi, in qua fuit volitus, & in qua tamquam in causa est voluntarius.

Petes 3. Utrùm sit unum tantùm peccatum continuatum, an sint plura numero distincta? R. Esse unum tantùm peccatum continuatum, nisi primum propositum fuerit moraliter interrumptum; quia primum propositum in detentione voluntariè continuata virtualitèr perseverat, ità ut dùm iteratur, etsi centiès, censeatur primum continuari, & ideò unum moralitèr peccatum: sicùt, cùm quis vadit ad occidendum inimicum, quamvis in via iteret voluntatem occidendi, non est nisi unum peccatum continuatum; quia primum propositum perseverat in continuatione viæ vi illius assumptæ, & vi illius sequentia proposita concipiuntur, aut potiùs idem repetitis actibus continuatur, ità ut censeatur mortalitèr unum continuatum propositum.

Quandonàm verò censeatur mortalitèr interruptum primum propositum sic, ut quotiès iteratur, tot sint peccata numero distincta? R. Videtur tantùm tùnc sic interrumpi, dùm revocatur, vel formalitèr per contrarium propositum; vel virtualitèr, quandò quis cogitans de ulteriùs detinendo alienum, non assentitur, sed alio mentem distrahit quasi revocans prius propositum: si ergo alterutro modo revocatum propositum iteretur, sive explicitè, sive etiàm implicitè, non restituendo, scilicèt posita advertentia ad obligationem & data opportunitate restituendi, est novum peccatum numero distinctum, in confessione explicandum. In priori autèm casu, quamvis sit unum tantùm numero peccatum continuatum, advertendum tamèn pro praxi, eo esse gravius, quo diutiùs durat, & æquivalere multis tùm ratione diuturnioris liberæ durationis, tùm ratione majoris damni & injuriæ: eo enim magis dominus damnificatur, quo diutiùs usu rei suæ privatur. Undè, sicùt si quis furatus fuisset centum aureos, non satis diceret in Confessione: furatus sum summam sufficientem ad peccatum mortale, sed deberet explicare quantitatem furti: ità qui per annum rem alienam injustè detinuit, non sufficientèr diceret: furatus sum, nec statim restitui, sed deberet explicare diuturnitatem detentionis, quippè quæ æquivalet in gravitate pluribus peccatis, & insuper omnia damna indè domino emergentia, aut lucra cessantia.

Ex his inferes 1. Pœnitentem, qui non habet firmam voluntatem restituendi dùm potest, aut non restituendi nisi per partes, dùm potest totum restituere, etiamsi sit morti proximus, esse incapacem absolutionis; quia est in peccato actuali. 2. Ei, qui semèl, vel iterùm fregit fidem Confessario, esse regularitèr denegandam absolutionem, donèc de facto restituerit, quia, licèt fortè tùnc habeat sincerum propositum restituendi tamèn, detentio rei alienæ est ipsi occasio proxima peccandi, quam proindè debet restituendo deserere, priusquàm absolvatur. 3. Similitèr non sunt regularitèr absolvendi, qui sub mortis articulo nolunt restituere per seipsos, dùm possunt, sed id suis hæredibus committunt. 1. Quia non habent adsolutum propositum restituendi, sed conditionatum tantùm, *si moriantur*, ità ut non restituerent, si viverent; quod non sufficit. 2. Quia se exponunt manifesto periculo nunquàm satisfaciendi, cùm plerumquè hæredes sint negligentes in faciendis restitutionibus sibi ab auctoribus suis demandatis: *atque periculam istud*, inquit elegantèr Soto, *potissimùm in magnatibus imminet, quorum testamenta nunquàm aut ferè nunquàm hæredes complent; sed satis se fecisse arbitrantur, ut quam restitutionem Avus Patri & Pater sibi testamento præcepit, eamdem ipse, aliis recentibus debitis onustam, Filio jubeat, quam ipse posteà committit nepoti.* Caveant ergo Confessarii, ne talibus manus citiùs imponentes se peccatis alienis implicent.

Notat tamèn Sylvius, prudentiæ Confessarii relinquendum esse, ut attentis rerum & personarum circumstantiis judicet; quandò alitèr sit agendum, & ideò dixi *regularitèr*. Potest enim contingere, vel quòd ex quibusdam indiciis appareat certò moralitèr futura restitutio, vel quòd res non ferat moram, vel quòd non possit nùnc fieri restitutio absquè nota infamiæ, aut graviori aliquo incommodo: quibus casibus debet moribundus dare, si possit, cautionem, vel consignando summam pecuniæ intèr manus Confessarii, aut meliùs alicujus viri probi, vel declarando coràm Tabellione & testibus se velle, ut ex suis bonis antè omnia detrahatur talis summa, & consignetur Confessario, aut alteri viro probo designato expendenda in usum ipsi declaratum: quòd si tempus nec id permittat, & ægrotus appareat sincerè velle restituere, poterit absolvi.

Petes 4. Utrùm sit eadem ratio de dilatione solutionis debitorum ex contractu? R. debita ex contractu debere solvi tempore per contractum determinato, etiàm creditore non exigente, *quia dies interpellat pro homine.* L. *Magna.* ff. *de contrahenda stipulatione*: quòd si nullum sit tempus determinatum, solvenda sunt, quandò creditor rationabilitèr urget, quia nullum videtur assignari posse tempus convenientius. Excipe, nisi fortè creditor, aut obliviosus, aut impotens, aut timidus illud non urgeret: tùnc enim solvendum erit tempore, quod judicatur prudentèr esse de rationabili intentione creditoris.

Cetèrùm advertunt Auctores, non statim accusandos esse noxæ lethalis, neque a Sacramenti absolutione repellendos procrastinantes solutionem debiti ex contractu, etiamsi debitor quandoquè urgeat, modò ex dilatione nullum, aut leve damnum subeat, & aliundè nullum sit periculum debiti perdendi; tùm quia, cùm in tali hypothesi dilatio non sit, aut levitèr tantùm sit creditori injuriosa, non censetur gravitèr invitus, nisi certè contrarium exprimat; tùm etiàm, quia nullus contrahens censetur voluisse contrahendo se tàm rigorosè obligare.

Quantùm ad damna emergentia, aut lucra cessantia ex dilatione solutionis debiti ex contractu, certum est, procrastinantes culpabilitèr solutionem, ad ea teneri sub mortali, vel veniali, proùt mora fuerit mortalis, vel venialis. Et id non est infrequens intèr Nobiles & Magnates, qui cùm facilè possunt, non tamèn solvunt, vel merces emptas, vel operas factas, undè mercatoribus, aut opificibus damnum emergit, aut lucrum cessat. Variis tamèn de causis possunt sic procrastinantes excusari a solutione *interesse*. 1. Quia creditores illud non exigunt, nec de eo solvendo admonent. 2. Quia dilatio non fuit mortalitèr culpabilis; tùnc enim est tantùm obligatio restituendi sub veniali, ut suprà dictum est, 3. Quia bona fide putavit, creditorem non esse graviter invitum ad talem dilationem.

De causis excusantibus a restitutione, sive simplicitèr, sive statim facienda, dicemus infrà.

ARTICULUS XVI.

Quo loco, & cujus expensis Restitutio fieri debeat?

QUæ sunt restitutioni obnoxia, debentur, vel ratione injustæ detentionis, aut damnificationis, vel ratione rei acceptæ, vel tandèm ex contractu. Hoc notato,

Dico 1. Debita ratione injustæ acceptionis, detentionis, aut damnificationis restituenda sunt expensis debitoris in loco, in quo ea possedisset dominus, si ablata non fuissent. Est communis. Prob. Quia dominus ex culpa debitoris non debet pati damnum; atqui pateretur, si propriis expensis rem suam recuperare deberet: ergo. Confirm. Qui tenetur ad finem, tenetur ad media fini consequendo necessaria; atqui debitor tenetur ad talem restitutionem, quæ dominus servetur indemnis, quod fieri non potest sine expensis: ergo ad eas tenetur. Hoc porrò verum est, non solùm quandò injustus debitor ipse rem alio transfert; sed etiàm quandò ipse dominus alio migrat, & rem suam secum asportasset; quia proptèr iniquitatem furis non debet dominus privari libertate, quò voluerit commigrandi. In hoc tamèn ultimo casu deducendæ sunt expensæ, quas ipse dominus debuisset facere in sua re asportando, quia iis deductis adhùc servatur indemnis. Insuper non tenetur injustus debitor restituere ubicumquè vellet dominus; v. gr. furatus es Leodii, non teneris restituere Parisiis, si illùc rem suam non asportasset dominus; quia sic non es causa, cur rem suam non habeat Parisiis, undè id a te irrationabilitèr exigeret.

Sed dificultas est, utrùm, si restitutio geri non possit absquè expensis longè superantibus valorem rei, eas teneatur facere injustus debitor? De expensis enim æqualibus valori rei, aut paulò excedentibus; itèm si ex omissione restitutionis sequatur domino damnum aliud æquale expensis longè superexcedentibus, certum est, quòd in hoc utroque casu teneatur restituere injustus debitor; quia in pari causa melior est conditio innocentis, quàm nocentis. Hoc posito ad quæstionem R. Si sit spes, fore, ut posteà possit fieri restitutio cum minori detrimento, & ex dilatione non sequatur gravius damnum domino, æquitati naturali consentaneum est, ut possit differri restitutio, neque debet censeri in hoc rationabilitèr invitus dominus. Ita communitèr Theologi. R. 2. Si non sit spes in futurum restituendi cum minori damno, & ex omissione restitutionis non sequatur domino damnum emergens, aut lucrum cessans æquale expensis superexcedentibus, cessat obligatio restituendi immediatè domino. Ità S. Anton. apùd Serram pag. 300. Soto, Lessius, Auctor Suppl. Tourneli, & alii plures contrà Cajet. Pontas, & Henno: videturque esse D. Thomæ (*Hic a.* 5. *ad* 3.) dicentis: *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit multùm distans, debet sibi transmitti, quod si debetur, & præcipuè si sit res magni momenti, & possit commodè transmitti*: (autìs *commodè*) *alioquin debet in aliquo loco tuto servari, ut pro eo conservetur, & domino significari.* Dixerat in 4. (*In 4. d.* 15. *q.* 1. *a.* 5. *quæst.* 4. *ad* 2.) quòd *poterit dari consanguineis illius, si habet, vel alicui Cœnobio, si non habet propinquos, cum protestatione tali, quòd ei reddere teneatur, si requisiverit, vel unquàm comparuerit.* Et ideò dixi in Responsione, *cessare obligationem restituendi immediatè domino.* Debet enim fieri aliquo modo restitutio secundùm voluntatem ejus vel explicitam, si possit cognosci, vel præsumptam, ut dictum est.

Prob. Responsio a ratione: Charitas & recta ratio, quibus non contrariatur Justitia, dictant creditorem nec debere, nec posse rationabilitèr exigere, ut sibi fiat restitutio in tanto rigore, per medium tàm durum, tàm difficile, & cum tanto detrimento debitoris, ità, quòd ad restituendum, puta, centum aureos, debeat expendere 200. 300. 400. imò mille & amplius. Insupèr intèr causas excusantes a restitutione reponunt omnes Theologi, etiàm hi qui nobis hic adversantur, impotentiam moralem, quandò nempè non potest quis nisi difficilè admodùm restituere & cum gravi suo detrimento: undè, qui negant assertionem nostram, non videntur consequentèr loqui. Verum est equidèm (& id opponunt) eum, qui tenetur ad finem, teneri ad media; sed id intelligitur de mediis congruentibus, & ut ità dicam proportionatis, non admodùm difficilibus & improportionatis. Undè tùnc obligatio finis censetur suspendi, donèc medium minus difficile & magis proportionatùm occurrat.

Opponunt insupèr: Quotidiè contingit, quòd quis in reparationem damni emergentis, aut lucri cessantis teneatur restituere triplum, quadruplum, &c. ultrà valorem rei acceptæ: ergo mirum non est, quòd quis ad majores expensas obligetur, ubi agitur de re domino remittenda. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd damnum emergens, aut lucrum cessans sit damnum ab injusto detentore causatum non minus quàm ablatio rei detentæ, adeòque ab ipso reparandum sicùt res ipsa est restituenda; secùs verò purum medium ad reparationem, quales sunt expensæ faciendæ. Aliud argumentum vide suprà a. 13. §. 6. Concl. 1. obj. 2. vel infrà art. ultimo *de impotentia restitutionis.*

Stat ergo, restitutionem esse faciendam per expensas proportionatas: quod quidam sic explicant, ut To *proportionatas* (venia sit verbo) intelligant non absolutè & arithmeticè, quasi pro centum restituendo debeat expendi aliud centum, sed respectivè ad damnum utrique secuturum attentis circumstantiis personarum divitum, vel pauperum: quia jactura centum aureorum respectu pauperis est gravius damnum, quàm jactura 200. 300. 400. &c., respectu divitis. Undè fieri potest, quòd pauper, qui debet restituere centum, excusetur a restitutione, si pro ea debeat expendere quinquaginta: & e contrà dives non excusabitur, si pro centum restituendis debeat expendere 200., aut 300., & ampliùs. Hæc explicatio non videtur a ratione aliena.

Dico 2. Debita ratione rei acceptæ sunt restituenda in loco, ubi habentur; & si ad dominum sint transferenda, id fieri debet ejus expensis: Quia nemo sine sua culpa debet pati damnum. Quantùm ad debita ex contractu, certum est esse standum conventioni expressè initæ per contractum quoad locum & expensas: quòd si nulla conventio sit expressè inita, colligenda est tacita ex natura contractûs, consuetudine loci, & aliis circunstantiis. Pro quo nota, rem reddendam ex contractu esse vel eamdem ut in commodato, locato, deposito, vel aliam ut in commutationibus, venditionibus, &c. Itèm contractum esse, vel in utilitatem unius contrahentis tantùm, ut est donatio, commodatum, depositum, vel in utilitatem utriusque, ut locatio, venditio, &c. His notatis,

Dico 3. Quandò res eadem reddenda est ex contractu, in quo nihil fuit stipulatum de loco & expensis, reddi debet in loco, in quo fuit tradita: quia æquitas & æqualitas postulant, ut, sicùt idem est restituendum, ità & in eodem loco, nec potest convenientior assignari; & ità censetur tacitè pacisci contrahentes, nisi aliud exprimant: idque expensis illius, in cujus gratiam initur contractus; quia non est æquum, ut alter patiatur damnum beneficium tibi præstando.

Undè inferes 1. equum commodatum remittendum esse illùc, ubi fuit commodatus expensis commodatarii: e contrà depositum expensis deponentis, nisi forte depositarius illud absquè causa aliò transtulisset, aut ex gravi ejus culpa fuisset aliò ablatum.

2. Promissa, donata, legata solvenda sunt in loco, ubi erant, quandò fuerunt promissa, aut donata; & si aliò transferri debeant, id donatarii, aut promissarii expensis, quia promittens, aut donans ad nihil aliud se obligasse censetur.

Quandò verò contractus est in utilitatem utriusque, ut locatum, vel depositum non gratuitum, & res aliò sit transferenda; quidam censent, dividendas esse expensas; quia inquiunt, æquum est, ut qui partim sentit commodum, partim etiàm sentiat incommodum, & alioquin alteruter sine sua culpa damnum pateretur. Hæc Sententia est probabilis. Alii tamèn volunt, omnes expensas esse solvendas ab eo, ad cujus gratiam & exigentiam initur contractus, nimirùm locatarii, & deponentis; quia, inquiunt, non datur pretium locanti equum pro remissione equi locati, sed pro ejus usu: similitèr non datur pretium depositario pro remissione depositi, sed pro labore & vigilantia in eo custodiendo. Hæc sententia eò mihi probabilior videtur, quòd sic communi hominum sensu ac praxi videatur receptum.

Dico 4. Quandò res alia est reddendo ex contractu, & nihil de loco & expensis constitutum est, restitui seu potiùs solvi debet, attenta natura contractûs, in loco, ubi res

res, pro qua fit solùtio, recepta fuit: quia non quovis loco debet fieri solutio, id enim magno damno foret alteri, ut si emas Parisiis, & tenearis solvere Romæ; undè, si quandoquè ità stipuletur, debet minui pretium, ut fiat compensatio. Certus ergo locus ex natura contractûs assignari debet, in quo fiat solutio: non potest autèm assignari, qui magis Justitiæ congruat, quàm is, in quo res fuit vendita, mutuata, aut permutata: quia in his contractibus reciprocis res una in locum alterius substituitur: id verò perfectè observatur, si etiàm idem locus acceptionis & restitutionis servetur.

Quòd si sint faciendæ expensæ pro translatione rei ad eumdem locum, & nihil de illis fuerit conventum, recurrendum est ad consuetas in ea regione conventiones, & regularitèr incumbunt debitori.

Quantùm ad solutionem censuum, nisi alitèr fuerit conventum, videtur solvendi ex natura contractûs, non in loco censualistæ, sed in loco hypothecæ; quia census, seu pensio annua est quasi fructus hypothecæ, qui non alibi, ex natura contractûs, quàm ubi nascitur, est tradendus. Quòd si census sit purè personalis, ob eamdem rationem solvendus est, ubi debitor commoratur, nisi fortè longiùs commigraret in grave detrimentum creditoris. Sed in constitutione censuum solet stipulari de loco solutionis.

ARTICULUS XVII.

Cujus periculo Restitutio fieri debeat.

Quæstio procedit, quandò restitutio fieri non potest immediatè domino, vel quia absens, vel quia debitor timet, ne indè infametur, aut obveniat aliud malum, cui res pereat, si in via pereat? Hic iterùm distinguenda sunt debita ratione rei acceptæ, ratione injustæ acceptionis, & ratione contractûs. Itèm, utrùm sit eadem res reddenda, vel alia.

Dico 1. Quandò dominus ipse designavit nuntium, per quem vellet rem suam sibi restitui, damnum incurrit, si res casu, vel culpa nuntii pereat, quovis titulo res ipsi debeatur, & sive sit eadem res reddenda, sive alia: quia in tali casu nuntius gerit personam domini, & quod ipsi traditur, censetur domino tradi. Similitèr, si reliquerit debitori libertatem eligendi, quem vellet, nuntium, modò eligat qui fidelis habetur: quia tùnc debitor præstitit omne quod exegit dominus, & consequentèr omne quod ipse debitor debebat.

Dico 2. Res debita solo titulo rei acceptæ, si, adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, scilicèt si elegerit nuntium, qui habetur fidelis, si remiserit per vias, quæ non reputantur periculosæ, attamèn pereat sive casu, sive culpa nuntii, non perit debitori, sed domino, pròindèque debitor ab ulteriori restitutione eximitur. Quia res hæc est domini, res autèm domino suo perit, præsertim cùm nulla culpa ex parte debitoris intercesserit. Ex quo colliges a contrario, quòd, si debitor sit in culpa, quia vel elegit nuntium, qui non habebatur fidelis, vel per vias periculosas remisit, ipsi pereat, & ad ulteriorem restitutionem teneatur.

Dico 3. Res, debita ratione injustæ acceptionis, detentionis, aut damnificationis, quocumque modo pereat extrà casum primæ conclusionis, sive sit eadem reddenda, sive non, ipsi debitori perit, qui proindè ad ulteriorem restitutionem adstringitur. Est communior & probabilior.

Prob. Qui tenetur ratione injustæ acceptionis, sempèr tenetur, donèc redintegrata sit æqualitas, quam injustè violavit; atqui, quocumque modo fiat, extrà casum primæ conclusionis, quòd res ablata, aut ejus valor non perveniat ad dominum, non redintegratur æqualitas violata: ergo. Confir. Si res illa intèr manus debitoris casu periret, illi periret, ut diximus suprà ex communi Sententia; quia injustus detentor tenetur de casu fortuito, cùm in se susceperit omne rei periculum, undè non valet hìc commune axioma, *res perit domino*: ergo etiàm ipsi debitori perit, si pereat intèr manus nuntii, quem elegit.

Neque obstat, quòd fecerit quod in se est: fecit equidèm quod in se est, ut eximatur a nova culpa, non autèm ut absolvatur ab obligatione restituendi. Ast, inquies, dùm assumo intèr nuntios fidelissimum, puta, Confessarium, tacitè consentit Dominus. R. D. consentit, id est, mavult, ut res sua potiùs per fidelem nuntium, quàm infidelem sibi remittatur, C. consentit, quòd, si res sua fortè pereat sibi pereat, N.

Dico 4. Res, debita ex contractu, si sit eadem numero reddenda, ut in commodato, locato, deposito, adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, perit domino. Si sit alia numero reddenda, ut in mutuo, in pretio mercium, &c. perit debitori, etiàmsi adhibuerit sufficientem diligentiam. Quia in 1. casu res est domini, & sub ejus dominio manet; in 2. autèm casu est debitoris. Porrò, sicùt res clamat ad dominum, ità & domino perit. Undè, si remittas equum commodatum cum pecunia mutuata, & utrumque pereat in via, æquus perit domino, & pecunia tibi.

ARTICULUS XVIII.

Cui ex pluribus Creditoribus priùs sit restituendum?

Quæstio procedit, quando debitor non potest omnibus suis creditoribus satisfacere: si enim posset omnibus satisfacere, nihil interesset, utrùm uni priùs, quàm alteri restituat, modò omnibus restituat.

Dico: Primo loco res existens in sua specie, cujus dominium non acquisivit debitor, quovis modo eam habeat, sive justè, ut pignus, commodatum, locatum, depositum, inventum, bona fide emptum, sive injustè furto, vel rapina, debet reddi domino, posthabitis omnibus aliis creditoribus; ità ut etiàm si sit ignotus dominus, debeat expendi secundùm præsumptam ejus voluntatem in usus pios: qui res clamat ad dominum, nec debitor potest restituere suis creditoribus de bonis alienis, sed de propriis. Hinc

Inferes 1. Rem emptam, & traditam, non soluto pretio, neque assecurato per pignus, vel fidejussorem, vel saltèm promissionem emptoris, esse venditori præ aliis creditoribus restituendam; quia tùnc dominium rei non transfertur in emptorem, sed manet penès venditorem ex dispositione Juris civilis in Instit. *Venditæ, de rerum divisione*: ubi sic statuitur: *Venditæ verò res & traditæ non alitèr emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissore, aut pignore dato.* Quòd si pretium non sit quidèm solutum, sed tamèn assecuratum per pignus, aut fidejussorem; tùnc non est reddenda venditori potiùs, quàm aliis creditoribus; quia, cùm pignus, aut fidejussor teneat locum pretii, transiit absolutè in dominium emptoris, ut etiàm patet ex lege cit. Ità communitèr Theologi.

Sed difficultas est, utrùm hoc ultimum sit etiàm verum, quandò pretium non est quidèm assecuratum per pignus, aut fidejussorem, sed tamèn venditor emptoris fidem secutus, ut Jura loquuntur, seu ejus nuda promissione contentus pretium quasi solutum habuit? Negant Cajet. Navarr. Sylvius, & alii plures, quandiù res extat apùd emptorem: quia, licèt talis venditor transtulerit dominium in emptorem, non censetur tamèn sic transtulisse, quin, si pretium habere nequeat, in eam habeat recursum & præferentiam, quamdiù integra apùd emptorem extat, ità ut tacito contrahentium consensu venditori hypothecata maneat, sicque jus ad illam habeat antè alios creditores, non hypothecatos; non tamèn antè creditores Jure civili hypothecatos, quia illa prior hypotheca est imperfecta, ista perfecta; nec enim ex contrahentium voluntate pendet unum creditorem præferre iis, qui vi legum præferendi sunt. Confirmatur hæc sententia ex eo, quòd communi hominum sensu durum nimis & ab æquitate naturali alienum videatur, quòd res mea apùd debitorem adhùc integra extans assignetur aliis. Dico: apùd debitorem extans; quia concedunt laudati Theologi, quòd si emptor illam alteri vendiderit, donaverit &c. desinat in venditore jus illam antè alios repetendi; quia, inquiunt, jus illud secundùm apprehensionem hominum tantùm manet, quandiù res apùd emptorem integra manet. Hæc sententia est probabilis.

Verùm non minùs probabilitèr affirmant Covarruvias, Layman, Wiggers, quibus adhærent Decooq. Ethic. Am. Auctor Suppl. Tourn. Henno, & alii. Quia, dùm venditor sequitur fidem emptoris, non minùs transfert rei suæ dominium, quàm dùm sequitur fidem fidejussoris; tùnc enim emptor gerit vices fidejussoris. Undè venditor non habet magis jus ad illam rem, quàm ad alia bona emptoris, nec majus, quàm illi ejusdem ordinis creditores. Hypotheca autèm imperfecta, quàm alii adstruunt in illam rem, videtur fictitia, utpotè in nullo Jure fundata. 1. Non in Jure naturali; quia Jus naturæ non magis dictat, hanc rem esse obligatam specialitèr venditori, quandò est contentus promissione emptoris, quàm quandò est contentus promissione fidejussoris. 2. Non in voluntate contrahentium; siquidèm emptor possit statim rem destruere, donare, vendere tamquàm suam; neque id possit impedire venditor; qua tamèn alienatione posita, juxtà ipsos adversarios nullum jus recursûs, vel præferentiæ habet ad illam rem; quod est signum, se nihil in eam reservasse. 3. Non denique in Jure positivo; nulla enim lex adferri potest, quæ hanc imperfectam hypothecam statuat. Proferunt quidèm legem *Julianus* 13. ff. *de act. empti, & venditi* qua statuitur, quòd *Venditor quasi pignus retinere potest eam rem, quam vendidit*; sed ista lex non dicit, quòd si res non retineatur, sit loco pignoris; quin potiùs videtur supponere contrarium.

Quod autèm addit 1. sententia, durum esse, & ab æquitate alienum, quòd res mea, quæ in specie extat apùd emptorem, tradatur aliis, dùm ego re & pretio defraudor. Respondetur, id non esse magis durum, quàm quòd rem meam ab emptore alteri donatam, aut venditam non possim præ aliis repetere; quod tamèn admittit 1. sententia. Excipiunt tamèn Patroni hujus 2. sententiæ bona Ecclesiæ, Fisci, & Minorum, quando venduntur credito a Procuratore sequente fidem emptoris; tùnc enim Ecclesia, Fiscus, Minor, ex privilegio Juris positivi, habent jus prælationis in hæc bona: pro quo vide Sylvestrum v. *Emptio* n. 2. Layman hìc. Quod etiàm puro consonum æquitati naturali de omni procuratore, qui accepit a domino facultatem vendendi, non tamèn fidem emptoris sequendi.

Notat Auctor Suppl. Tourn. in Gallia venditorem rei immobilis, qui pretium non recepit, cæteris creditoribus etiàm Regi præferri, juxtà a. 3. Edicti ann. 1669. Imò habere jus rem suam insequendi, seu repetendi, quocumque transierit; sed bona mobilia, ubi semèl ab emptore sunt alienata, a venditore occupari non posse. Hoc est jus municipale, cui standum est. Non autèm locuti sumus secundùm jus naturale, & commune.

Secundo loco debita privilegiata sunt solvenda antè omnia alia, etiàm hypotheca. Sunt autèm debita privilegiata 1. Expensæ necessariæ, & moderatæ funerum pro marito, uxore, libero, aut alio, quem sepelire tenebatur debitor L. *penult.* ff. *de Relig. sumpt. fun.* 2. Expensæ pro conficiendo & aperiendo Testamento, pro conficiendo inventario; pro Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, L. *ultima.* C. *de Jure deliberandi* 3. Expensæ necessariæ in conservandis bonis debitoris, seu domûs mortuariæ. Horum ratio prætèr jura citata est partim, quia pieraque sunt in utilitatem creditorum; partim quia sunt necessaria, nec omittenda ut satisfiat creditoribus: nullus autèm reperiretur, qui ea præstare vellet, nisi de solutione certum esset. Et proprèr hanc rationem in certis Provinciis privilegio prælationis gaudent debita facta ob victum necessarium, itèm salaria famulorum, & ancillarum.

Tertio loco sequuntur debita hypothecata. Pro quo notà. Hypotheca est, cùm res datur, aut assignatur in assecurationem debiti. Si sit res mobilis, dicitur pignus; si immobilis, dicitur hypotheca. Est duplex: generalis, cùm assignantur, seu obligantur omnia debitoris bona, tàm præsentia, quàm futura, in assecurationem debiti: particularis, cùm assignatur certa pars bonorum, hæc domus v. gr. hoc prædium. Itèm alia est expressa, cùm de illa in contractu, & coram Magistratu fit expressè stipulatio: alia tacita, quæ vi Legum inest quibusdam contractibus, etsi in contractu non exprimatur. Sic, qui pecuniam mutuo dedit ad construendam, conservandam, aut reparandam domum, navem, &c. domus, navis, &c. remanent obligatæ mutuanti ex dispositione Juris. L. 3. ff. *Qui potiores*: & L. *Licet.* C. eod. tit. Itèm, qui domum locavit, habet vi illius contractûs omnia locatarii mobilia, quæ sunt in domo, obligata, & impignorata pro pretio locationis, & damni, quod locatarius domui posset inferre. Et sic in pluribus aliis.

Igitùr debita hypothecata, sive expressè, sive tacitè, sive generalitèr, sive particularitèr, præferenda sunt debitis simplicibus, seu chyrographariis tantùm; exceptis privilegiatis, de quibus numero præcedenti: tùm quia hypotheca, seu impignoratio a Jure est introducta, ut creditor haberet prælationem, seu securitatem sui debiti; cùm quia creditor hypothecarius non solùm personam debitoris habet obligatam, sed etiàm rem ipsius; creditores autèm non hypothecarii solùm personam debitoris habent obligatam. Quandò verò sunt plures creditores hypothecarii, attenta natura rei, talis est intèr eos ordo: Habeares hypothecam expressam præferuntur habentibus tacitam; habentes generalem habentibus particularem tantùm. Inter plures habentes similem hypothecam præfertur prior posteriori: in hoc enim casu maximè valet hæc regula Juris; 4. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et ratio est, quia posterior hypotheca non potest tollere jus alteri priùs acquisitum. Dixi: *attenta natura rei*; quia ex dispositione Juris positivi plures casus excipiuntur, in quibus hypotheca tacita præfertur expressæ, posterior priori.

1. Qui mutuo dedit pecuniam ad rem hypothecatam conservandam, aut restaurandam, ut suprà, præfertur in hac re quibuscumque hypothecariis, L. *Interdùm* ff. *Qui potior.* Quia sine tali mutuo res periisset, & sic nihil, aut parum priori creditori profuisset. 2. eadem ratione, qui mutuat pecuniam ad emptionem alicujus fundi cum pacto expresso, ut sibi specialitèr maneat hypothecatus, præfertur aliis hypothecariis generalibus, etiàm prioribus. L. *Licet* 7. C. *Qui potiores in pignore.* 3. Qui mutuat pecuniam pro vectura mercium, aut conductione ædis, in qua asservantur, habet in illas merces jus prælationis antè alios hypothecarios. L. 6. ibid. 4. Uxor, & ejus descendentes vi hypothecæ tacitæ habent jus in omnia mariti bona pro solutione dotis antè alios hypothecarios generales. L. *Assiduis*, C. *Qui potiores in pign.* & alibi; non tamèn antè hypothecarios expressos, & particulares, neque antè jam dictas hypothecas n. 1. 2. & 3. Si conventionem dotis præcesserint. Ità Less. Bonac. & Cabassut.

5. Omnia bona illius, qui debet Fisco, ut qui non solvit tributum, aut receptori vectigalium, sunt tacitè hypotheca Fisco, cum jure prælationis antè alios creditores hypothecarios. L. 2. C. *de privileg. Fisci.* Hæc fusiùs discute e proprium est Jurisconsultorum.

Quarto loco veniunt creditores simplices, seu chyrographarii, qui neque sunt privilegiati, neque hypothecarii, inter quos non est ordo servandus ratione prioritatis debiti, sed omnibus indiscriminatim restituendum est pro rata secundùm proportionem debitorum, & facultatum debitoris: quia, sive primus, sive secundus, omnes habent æquale jus immediatè in personam creditoris, non in ejus bona nisi mediante persona.

Nec obstat jam laud. regula juris 54. in 6. *Qui prior est tempore, prior est jure.* Hæc enim regula habet tantùm locum inter eos, qui habent jus ad eamdem rem determinatam sibi obligatam; ut in venditione ejusdem mercis, facta pluribus sine traditione, prior emptor præfertur; similitèr, quando plures conducunt eamdem domum, plures desponsant eamdem puellam, prior conductor, & prior sponsus præferuntur: sed & maximè, quandò plures habent hypothecam in eamdem rem, prior hypothecarius secundùm se præfertur posteriori. Ratio est; quia, cùm singuli habeant jus ad rem determinatam in specie sibi obligatam, posterior in æquali causa non potest extinguere jus prioris jam anteà acquisitum. At verò debita merè personalia, seu chyrographaria solam personam debitoris immediatè obligant, ità ut creditores nullum habeant jus ad debitoris bona determinatè; sed solùm quilibet habet jus petendo debitum; quod jus in ultimo non potest impeti a primo: undè omnibus æquè, ac primo satisfaciendum est pro rata.

Sed, utrùm ex alio titulo non sit ordo servandus intèr creditores chyrographarios, discutiendum restat art. seq. Undè

ARTICULUS XIX.

Variæ difficultates resolvuntur circà præcedentem materiam.

Quæritur 1. Utrùm debita ex delicto, & ex contractu oneroso non sint priùs restituenda, quàm debita ex contractu gratuito, v. gr. promissione, donatione, &c. R. affirmativè. 1. Quia nemo rationabiliter intendit, se obligare contractu gratuito in gravamen illorum, quibus ex justitia adstringitur. Undè omnis contractus gratuitus hanc tacitam conditionem includit, nisi aliquid obstet, quominùs res promissa tradi possit. 2. Quia debitorum ex contractu oneroso, aut delicto est strictior obligatio, quàm ex contractu gratuito: Creditores enim ex delicto, vel contractu oneroso habet jus ad rem debitam tamquàm aliundè suam, utpotè quæ vel anteà erat sua, & ablata est non soluto pretio, vel pro qua jam pretium solverunt; undè, dùm debito privantur, patiuntur positivè damnum: Creditores verò ex contractu gratuito non habent jus ad rem gratuito promissam, vel legatam tamquàm aliundè suam, vel sibi aliundè debitam, sed ex sola gratuita voluntate promittentis, aut legantis; undè, dùm tali debito privantur, non patiuntur positivè damnum. Hinc colliges, non esse licitum acceptare donata, vel legata ab eo, qui est impar solvendis debitis ex titulo oneroso, tantùm illi reddas, quantum accipis, ità ut ex dono non fiat magis impotens solvendis debitis.

Quæritur 2. utrùm sit aliquis ordo intèr debita ex delicto ex una parte, & debita ex contractu oneroso ex altera? R. Circà hoc dubium triplicem esse Sententiam. Prima tenet, priùs esse restituenda debita ex delicto, quàm ex con-